

penetralia peruestigare, et tam operosam Artem penitius excolere, alia Curæ, aliaq; exercitia tibi permittant (siquidem, Vnus par studijs omnibus esse nequit) tamen & his nonnunquam iucundè te affici, haud ambigo. Nam & Instrumenta, à Parente in huius præclaræ Artis restaurationem liberaliter per idoneos Artifices extracta, etiamnum tuâ curâ sacra tecta conservari, & qui ijs per oportunitatem utantur, tuâ liberalitate sustentari, perlubenter inaudivimus. In quo etiam proposito, & utili provisione, ut constanter perseveres, summissè hortamur. Quantum verò profectum in alijs liberalibus Artibus, præsertim Historiarum cognitione & Linguis, feceris, apertius quam plurimis perspectum est, quam ut mea commemoratione indigeat. Quantus insuper sis in iucundo, & erudito Poëtarum Studio, ut alia à te concinnata, & Eleganti venâ resonantia Metra liquidò ostendunt; sic etiam Psalmorum omnium Regij illius Vatis Davidis, in Carmina diversi etiam generis, mellifluo sono prædita, iam pridem, adeoq; in ipsâ Adolescentiâ, circa Annum Ætatis decimum octavum, à te exhibita Versio (quæ postea Typis edita est) quam argurâ, et facili venâ Poëticâ decoratus sis, non obscure testatur. Quem Librum ante paucos annos huc in DANIAM missum non sine voluptate introspexi, et Ingenij tui in facultate Poëtica, etiam illa ætate nondum maturo iudicio confirmatâ, fertilitatem, plurimam, vnâ cum alijs, quibus ostendebatur, admiratus sum. Quin & *δεκάσιχρον* illud, quod adhuc vivente Patre, & ex eius voluntate in Operum meorum

rum